



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LI. Differnetia 8. Iure Canonico monachus in hæreditate sibi delata
æquiparaturfilio familias, ut sic monasterium poßit adire delatam
hæreditatem monacho, eiusq[ue] consensus non sit necessarius,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 3.

Iure Canonico monachus in hereditate sibi delata equiparatur filiofamilias, ut sic monasterium possit adire delatam hereditatem monacho, ejuſq; confusus non sit necessarius, c. In presentia, de prob. & l. Cum proponas, C. de hæred. institut. Sed iure civili magis videtur equiparari servo juxta dictam legem, Cum proponas, Ioann. Bapt. a S. Blasio.

I. **I**n hac materia non est, quòd quisquam ingenium intendat, aut operam sollicitè ponat in enodatione. Etenim diverso respectu monachum nunc servi, nunc filii conditionem sustinere, communi Legistarum & Canonistarum sensu receptum est. In præceptis obedientiæ, & bonis temporalibus, quæ acquirere possint, servis annumerantur, quia illis omnimodè renunciârunt, c. Cum ad monasterium, de statu monach. Barboſ. ibid. n. 35. Innoc. in c. Cum olim propter, de privil. Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de reform. In spiritualibus verò, quorum capaces sunt, ingenui habentur. Nam beneficia, officia, & dignitates ecclesiasticas obtinere possunt. Innoc. in c. Post translationem, de renunciat. Navar. l. 3. Consil. 14. c. 3. Canis. l. 1. summat. 25. Less. c. 34. D. 2. n. 5. Roderic. tom. 1. q. 34. art. 2. & seq. Barb. in c. Cum olim, de privil. Fachin. l. 6. Controv. c. 16. Ever. in Top. loco à Servo ad monachum. Bartol. Fumus v. Monachus n. 5.

II. Illud autem controvertitur, cum de hereditate monacho delatâ agi-

tur, an ipso in scio vel etiam invito monasterium adire possit: si potest, servo censetur monachus, idque iuris civili Interpretes volant: si non potest, quæ filius erit. Priorem seu affirmativam partem ex c. In presentia, de probas. colligimus, ita ut in tali casu non monachus sed monasterium loco filii sit, & hereditatem accipiat. Abb. n. 16. Felim. n. 39. Decius n. 108. Bartol. Bald. Angel. aliq. plurimi ap. Barb. in c. cit. & Laym. l. 3. Tit. 5. c. 5. n. 7. Ratio est, quia professio paupertatis incapaces reddit ad proprium aliquid sibi comparandum, & omnia monasterio acquiruntur: ac proinde in eo, quòd monasterio monachus acquirit, servo comparatur: quoad modum verò acquirendi filiofamilias, potius quàm servo assimilatur, l. ult. C. de her. qua liberis. Si filius res sibi delatas non vult acquirere, pater pleno jure eas acquirere potest.

**
*